*AUTHOR:*

GLAESER, CARL WILHELM

*TITLE:*

DISSERTATIO QUA DEMONSTRATUR ...

*PLACE:*

LIPSIAE

*DATE:*

[1829?]

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

## BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record



Dissertation

Glaeser, Carl Wilhelm
Dissertatio qua demonstratur cantu et saltatione apud Graecos incunabula culturae constituta esse
Leipzig 1829

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 10/1/93 INITIALS BAP
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

**AIIM**

**Association for Information and Image Management**
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

CONTENTS



see next page

CONTENTS

# DISSERTATIO

QVA DEMONSTRATVR

# CANTV ET SALTATIONE APVD GRAECOS INCVNABVLA CVLTVRAE CONSTITVTA ESSE.

---

SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

AVCTORITATE

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS CONCESSV

IN AVDITORIO IVRIDICO

DIE XV. M. APRILIS MDCCCXXIX.

PVBLICE DEFENDET


CAROLVS GVILIELMVS GLAESER

PHIL. DR. ET AA. LL. MAG.

ASSVMTO AD RESPONDENDVM SOCIO

ERNESTO LVDOVICO WIGAND

WALDHEMIENSI

THEOLOGIAE STVDIOSO.


---


LIPSIAE

LITERIS STARITII, TYPOGR. VNIVERS.

# PROOEMIVM.

Multi sunt, qui inter eruditos nostris temporibus ad famam gloriae consequendam suamque memoriam immortalitati tradendam nituntur; quo quidem in conatu alii aliam insistunt viam. Sunt enim alii, qui omni investigatione veri omissa exiguam eruditionem suam velare student alios iniuste vituperando, atque aliorum studia et labores temere recensendo, promeritam iis gloriam diminuendo, nihilque aliud agendo, quam ut hoc contumelioso praestantissimorum virorum contemtu sua celebritas nominisque sui claritas quovis modo augeatur. Sunt alii, qui quaecunque vetusta sunt antiquitatemque redolent statim reiiciunt ac tantum novitatis studiosi, omnia nova esse debere clamantes, magis imperiose iubent, quam amice, ingeniose et cogitate suadent. Sunt denique alii, qui antiqua et vetustate repressa undique conquirunt, apud quos omnia antiqua scripta, monumenta literarum, sententiae et opiniones maiori sunt in pretio, quam praestantissima literarum opera recentioris aetatis, quae isti plane nihil aestimantes repudianda censent; in quibus adeo extitere nonnulli, qui eo progrederentur audaciae, ut inveteratum typum, qui ab indole linguarum hodiernae Europae plane ab-

horret, ita ament, ut eum linguae nostrae intrudere omni modo studeant. Quo quidem vitioso ex antiquitate figurarum depromtarum usu orationem nostram magis inculcando deformare, quam locupletando excolere videntur. Quid igitur mirum, si haec inclarescendi genera homini sobrio et liberali minime arrideant: quippe qui contendit, in aestimanda cuiusvis literarum studiosi virtute cautionem adhibendam et praecipue spectandum esse, quo amore animoque humanitatis omnisque liberalitatis is qui literis operam dat, imbutus sit; quatenus finis summus eius animo semper obversetur, dignitatem literarum ingenuarum inter homines amplificandi, et in eum locum eas extollendi, in quo esse debent, si ingenia vigere, disciplinas vero severiores in dies maiora incrementa capere volumus; ex qua dignitate, non inani subtilitate, sed accurata et diligenti rerum investigatione nixa, maxima utilitas non solum in rem literariam, sed etiam in salutem communem redundat. Nam homini generoso atque erectiori animo nulla miseria maior excogitari potest, quam si animi sensus, ingenii inventa, mentis iudicia metu eorum occultare cogitur, quorum obtusum ingenium quisque sana mente praeditus ridet. Atque isti, si quid ore illius exciderit, callidissime nituntur, ut aliter sentientem, et haud scio an doctiorem et sapientiorem, non modo in malam suspicionem adducant, sed etiam in summam perniciem coniiciant.

---



# ARGVMENTVM ET RATIO INSTITVTI.

Meditanti mihi, qui per multos iam annos historiae operam dedi, unde uberiorem disserendi materiam sumerem, quaestio [a]) veniebat in mentem, quaenam tandem essent causae, quibus antiqui Graeci ad summum culturae fastigium pervenerint atque ut aliis populis moribus et disciplinis praeluceant, ipsis contigerit? Itaque nunc illud argumentum:

„cantu et saltatione apud Graecos incunabula culturae constituta esse“

(siquidem id non solum disputandi praeberet materiam, sed etiam ad excolendam historiae scientiam aliquid proficeret,) pro ingenii mei tenuitate ad examen vocare hocque libello disquirere animo constitui.

Finis, quem mihi in hac historica pertractatione proposui, in eo consistit, ut materiam tum ex antiquis literarum monumentis proferam, tum ex doctorum virorum recentioris aetatis scriptis ea, quibus natura et indoles huius rei cognosci potest, repetam; simulque rationes allatas accuratiori subiiciam disquisitioni, et sententiis et testimoniis doctissimorum virorum confirmem. Quum autem alia prorsus sit conditio eius, qui industriam suam collocat in investigatione veri et certi, alia eius, qui tantum scripto quodam libello oculos aliorum in se vertere et admirationem sui movere cupit, (qua quidem re nihil aliud effici potest, quam ut externus splendor augeatur, cogitationes autem hominum nunquam eo ducuntur, ut verum melius videant): ego

contra et dignitatem literarum spectavi, et reiectis omnibus tumidis et obscuris elocutionibus, quibus animus friget et obscura res obscurior redditur, dicendi genere, quantum fieri potuit, usus sum simplici et perspicuo. Deinde quum in omnibus omnino disciplinis fugienda sit facilitatis opinio, quod ea et levitatem animi et negligentiam gignere solet, tum ea maxime mihi cavenda videbatur in re elaboranda tot et tantis difficultatibus obsepta, quarum singulae tum vel praestantissimum scriptorem tum subtilissimum disputatorem perturbare et exercere nonnunquam possunt. Quamvis autem nonnulli sint viri doctissimi, quibus haec mea ratio studiorum pertractandorum minus probetur, tamen non erubesco fateri, me in hac materia nunc examini publico oblata multum operae et studii consumsisse: sed nunquam mihi persuadebo, me his studiis meis qualibuscunque opus perfectum exhibuisse; quippe qui id tantum hoc labore meo spectavi, ut alii me multo doctiores et exercitatiores hanc materiam gravissimam aliquando clariorem plenioremque redderent.

a) Ad hanc quaestionem enucleandam primum excitatus et institutus sum lectione Opusculorum Acad. HEYNII. Extat locus Tom. I. eius Opuscul. Acad. pag. 167. seqq. in Comment. de efficaci ad disciplinam publicam privatamque vetustiss. poëtarum doctrina; ubi haec leguntur:

„Apud omnes populos barbaros cantus ac musices saltationisque summam laudem esse: v. Lucian. de saltat. et Strab. multis in locis. Quod in hominum natura omnino positum esse videmus, ut sensuum et affectionum animi ac commotionum multo maturior in pueris oratio aliqua sit, quam rationis et intelligentiae; idem in populis barbaris et agrestibus fieri audimus, ut intra ea, quae appetunt aut metuunt, quibus gaudent ac dolent, primus eorum sermo se contineat, utque is multo cum corporis



orisque motu ac gestu, clamore incondito, vocisque magna intentione coniunctus sit. Inde saltationes ac choreae, cantusque ac musici soni, rudiores quidem illi et dissoni, a quibus tamen facile ad numeros certos modosque res deducitur. — Hinc conviviorum communium ac publicorum tanta frequentia, sollenniumque ac festorum incredibiles illae celebritates; omnis enim barbarus populus magnos popularium coetus et congregationes sollennes facere amat. Contra vero, quo maiora diversorum inter se populorum commercia fiunt, eo rariores ipsorum popularium coetus fieri."

---

## EXPOSITIO ARGVMENTI.

### §. 1.

Iam primum omnium neminem fugit, neque convenire passim collectam observationum copiam illi, qui hanc materiam ad leges generis scribendi, quo historici uti solent, compositam velit, ut quasi vividissimis coloribus ad imaginem rei recte concipiendam animo nostro cogitatio accurata obversetur. Neque ego, si tantum aliquem observationum apparatum in promptu haberem, unquam adduci possem, ut ad hunc laborem suscipiendum satis instructus et exornatus mihi videar, vel nonnullas abruptas partes et fragmenta sufficere putem, quibus singuli lectores contenti esse possent, quos harum rerum cognitionis expertes et vana saepe mirantes facile aequos iudices viderem. Sed multo graviora ab eo petenda sunt, qui hoc argumentum elaborandum et literis consignandum sibi vindicat, ne auctor, conatibus suis plane irritis, et iudicio severo et vituperio se exponat. Ad hoc vituperium, quantum fieri potest, evi-

tandum, re paulo accuratius considerata, morem doctissimorum virorum secutus sum, qui in studio perscrutandi veri semper occupati, non studio novitatis abrepti, fallaciis et captionibus alios fallere student, sed rationibus ad cognitionem rerum investigatis laudem subtilitatis et eruditionis tulerunt.

Quis autem est qui nesciat, primum monumentis literarum opus esse, quorum fides et verecundia omnibus sit perspecta, i. e. fontibus, ex quibus non tantum singularum partium, sed etiam totius rei cognitionem hauriamus, ut tum fide digna, tum probabilis descriptio et disquisitio oriatur.

§. 2.

Sed ubinam fontium vestigia et monumenta ad istam materiam pertinentia quaeram? Sunt libri veterum scriptorum; haec est unica via, quam omnes, qui de rebus ad antiquitatem pertinentibus scripserunt, ingressi sunt. Sed totam rem iam expositam hac via exspectare, nihil aliud esset, quam contra omnem veritatem sibi persuadere, illos veteres scriptores iam nostra desideria non solum divinasse, sed etiam iis satisfecisse. Fingamus, alicui satis otii fuisse ad monumenta illa praestantissimorum eruditae antiquitatis scriptorum, qui in historia testes laudari solent, investiganda; qua in re quum plus quam hominis aetas, tum acris laboris constantia et patientia ad ea perlustranda opus essent: num haec diffusa copia admonitionum, notarum, et observationum sufficeret ad integrum opus rite constituendum? Minime. Multo maiori studio et ingenio opus est ad has singulas partes tam apte componendas, ut ars historica partibus ipsis eam lucem suavitatemque



affundat, quibus in inopia cognitionis iustae rerum ad antiquitatem pertinentium adhuc carere necesse fuit.

§. 3.

Considerandum enim est, quantum omnino, quod ad hanc rem pertinebat, perierit! Quodsi tempus ipsum minus invidum et evertens fuisset, quam multa tamen propter discrimen veteris et recentioris aetatis obscura et captui hominum parum idonea essent. Nam quae seriores interpretes et scholiastae fere obiter de hac re observarunt, sunt fragmenta tantum, quae, quamvis magni pretii, tamen vel suspecta vel variae interpretationi obnoxia, saepius rem non satis declarant et illustrant. Quodsi vero me quisquam ad dissertationes recentiorum virorum doctorum releget, infitias ire nolo, de singulis capitibus excellenter elaboratas commentationes et monita extare, quibus, quatenus mihi licuit, ad me melius edocendum non minus grato quam fido animo usus sum [a]). Sed in dissentientibus de his rebus iudiciis, enatis fortasse ex quibusdam opinionibus praeiudicatis, sed prae caeteris haud ingratis viris doctissimis, qui in monumentis literarum diligenter et subtiliter perscrutandis omne tempus consumserunt, non possunt non reperiri sententiae, quae, quum firmis argumentis indigeant, magnam dubitationem afferant necesse est; ad quas tamen refutandas multo maiora opus sunt, quam bona voluntas et promptus ad optima quaeque praestanda animus.

Priusquam igitur transeam ad uberiorem huius materiae explicationem, animus lectorum intendendus est ad aliam eamque haud contemnendam difficultatem, ad omnem omnino priorum documentorum certorumque auctorum, qui occasionem et causas

primas uberius explicaverint, inopiam. Nam tantum abest, ut, quum ipse progressum paulatim factae culturae ita demonstrare debeam, ut de eius veritate nulla omnino dubitatio relinquatur, quemadmodum scriptores nonnulli fecerunt, rem iam explicatam ipsam proferam, et arbitrio et ingenio cuiusque hanc rem sibi ipsi exponendam, quo quemque sua opinio ferat, relinquam: ut primum omnium quaestio mihi proponenda videatur, quomodo et quibus concurrentibus rebus ingenium Graecorum ita paulatim excultum sit, ut a feritate ad meliorem cultum, et literae et artes eorum, quae adhuc extant et inter nos recte maximi habentur, ad tantum honoris et gloriae fastigium pervenerint.

a) v. RUHNKEN, Viri illustris, Comment. de Graecia artium et literarum inventrice, in eius Opusc. rhetoric.; et FR. CREUZERI, Viri celeber., Oratio de civitate Athenarum omnis humanitatis parente. Ed. II. emend. Francof., ad M. 1826.

§. 4.

Quamquam per longum temporis spatium de primis Graeciae incolis eorumque conditione nobis fere nihil, nisi mythi vel traditiones mythicae et coniecturae supersint, eaeque viam satis lubricam et campum amplum praeiudicatis opinionibus et sententiis, quibus maxime delectari solemus, aperientes; (quae quidem omnia, quum, quot et quantae vagis et obscuris conceptibus difficultates parentur, appareat, rem magis turbare et impedire, quam adiuvare et extricare videntur): tamen in monumentis literarum perpetuo investigandis et de causis meditando de explicatione huius materiae non omnino est desperandum. Nam si historia duce ex testimoniis aliquam rem argumentis et rationibus idoneis



demonstrare et explicare non possumus, statim altera via ineunda est, ut res probabilis fiat, quae est demonstratio ex natura rei eiusque analogia. Quam quidem rationem hic ut alioquin in historia non contemnendam, propter difficultates, quum iustas notiones de moribus, consuetudinibus et institutis requirat, felici successu tantum ii viri doctissimi ingressi sunt, qui in antiquitate et in disciplinis eam adminiculantibus subtiliter et accurate exploranda versati erant. Iam vero faciendum putavi, ut paucis animo recolam illa priora tempora, quibus historia fere nulla extitit; ubi homo expers rerum necessariarum, quae ad mentis vires augendas et corroborandas pertinent, consilio tum societatis ineundae, tum civilis cultus instituendi capto, incipit non minus suarum virium conscius esse, iisque confidere, quam quem fructum vita suppeditet, hucusque ipsi ignotum, animo praesentire. Porro fingamus talem hominem collocatum in loco amoeno, possidentem omnia bona, quae suavitatem illius sensibus afferant, eiusque vim fingendi imaginibus sensu voluptatis animum permulcentibus imbuant; in quo vigeat animus simplex et hilaris, cui insita sit facultas et indoles iocandi et voluptatis cuiusque percipiendae [a]); hominem inquam beatissimo otio utentem, in levibus tantum laboribus occupatum, in quibus vita ipsa tanquam lusus ei videatur: quid amplius opus est isti homini, nisi externa occasio, qua omnes sensus incitati spectent ad hoc solum et conveniant in hoc unum, ut mirifica appareat laetitia. Homo ipse quasi Deo impletus salit, saltat et cantat. Quam ob rem, si rem accuratius pensitemus, etsi negari non potest, vel universorum populorum culturam ingenii et linguae sponte etiam procedere,

prudentemque quandam facundiam vestigia sapientiae premere: tamen sermo ab initio perfectus cogitari nequit, sed antiquissima loquendi hominis ratio eandem simplicitatem indicat, quam eius notiones. Illa enim orta est vel ex sonis affectuum et animi motuum, vel imitando sonos sub divo auribus perceptos, qui unice ad paucas et proxime eum attingentes res pertinebant. Nam quomodo aliter fieri poterat, quam ut ista loquendi ratio adhuc impar esset sensibus intimi et commoti animi verbis diserte exprimendis! Verum vox humana ex omnibus viribus assurgit ad cantum, impatiens verborum cunctantium libere et effuse prorumpit in imagines summa cum ferocia animo fictas et variis numeris coniunctas, prout animus sensibus nunc languidis nunc fervidis redundat. Sed non solum ope oris homo alloquitur congregatam multitudinem; nam quis credat, oratione imaginibus audacter depictis plena effici posse, ut sensus hominum aliorum moveantur, ad easdem res inflammentur, et audientium animi consentientibus sensibus in admirationem rapiantur? An homo in eo acquiescere poterat, ut fortunam amplam et florentissimam suam lineis tenuioribus et imperfectis allegoricae dictionis adumbraret? Minime. Corpus ipsum, a natura destinatus interpres, hac in re partes suas agat necesse est. Iam ad vehementes animi affectiones tota sua natura proclivis, nunc arte mimica, nunc gestu artus corporis scite componendi admoto, vel acerrimus animi impetus oritur[b]). Hoc modo ea, quae animo nostro insita sunt, excoluntur, et musica, cantu et saltatione mimica pro lubitu arctissime coniunctis et inter se nexis, exsistit Drama, sive genus Dramatis h. e. expositio talis, per quam res quasi agatur[c]). Constat enim inter omnes, Graeciam



solam esse terram, in qua Drama, sublime illud artis opus, inchoatum et perfectum sit; atque tota Graecia solas fuisse Athenas, ubi hoc poeseos genus et naturae et ingenio totius nationis proprium, sit aestimatum; quod hic tam altas radices cepit et tam intime cum huius civitatis indole cohaesit, ut in ea solum versaretur, et, sicut ex civitate efflorescente prodiit, ita etiam extincta ea concidit[d]). Res omnino notissima est, quam dissidentes Graeci ipsi inter se fuerint de honore huius inventi, quantopere inprimis gens Dorica gloriae Atheniensium obtrectans honorem illum sibi ipsi vindicaverit. Caeterum non opus est, ut hic ad carmina bellica et epinicia inter populos a cultu et humanitate abhorrentes usu communi recepta relegem, quum saltationes eius generis in insulis maris Ionici et in Italia inferiori adhuc in usu sint[e]).

a) Comment. *über den Trieb zum Singen, wenn wir fröhlicher Laune sind; in Köhlers Unterhaltungen für Freunde der Philosophie und des Forschens*, No. 2.

b) Conferantur *Reinhold Forsters Bemerkungen über Gegenstände der physischen Erdbeschreibung, Naturgeschichte und sittlichen Philosophie, auf seiner Reise um die Welt gesammelt. Uebersetzt und mit Anmerkungen versehen von seinem Sohne, George Forster. Wien* 1787.

c) Conferendus est Heyne in Comment. c. t. Religionum et sacrorum cum furore peractorum origines et causae. In Comment. Soc. Goett. Tom. VIII. p. 14. Saltationes veterum, sicut barbarorum nostrae aetatis, mimicam habuisse facti alicuius adumbrationem, notum est; unde apud Graecos ex saltatione Chorus natus est, et ex eo Drama, nimirum ex Chori numeris ac modis doctioribus. Haec e nostra saltatione enasci non possent.

d) Vid. Heynii Opuscula Tom. IV. pag. 16. Apud Athenienses ipsa Dramata, quae in scenam inducebantur, ad certamen sunt revocata: eaque re inprimis effectum est, ut Graeci inter omnes

populos Dramate excellerent. Verum idem certandi mos, quam insana Atheniensium studia peperit, ut inter reipublicae Atheniensium eversae causas res scenica merito sit referenda!

e) Nunc hae saltationes vehementissimae Romae Saltarella, et in regno Neapolitano Tarantella appellantur. Magnam similitudinem habent cum saltatione, quae apud antiquos Graecos κόρδαξ l. θίασος nomen habuit; vid. Aristoph. Nubes, v. 540. In talibus lascivis vel obscoenis saltationibus uti solebant crotalo, hodie Castagnetten. Cfr. Bronzi d' Ercolano Tom. II. Tav. 91. 92.

## §. 5.

Quae quidem ratio exprimendorum sensuum maxime apparet ex institutione sacrorum, quae ad cyclum temporis indicandum diebus festis colebantur. Nam his diebus, reditui legitimo quarundam memorabilium et exoptatarum temporis partium destinatis, incultus homo maius pretium tribuit, quam excultus; quia illum propter inopiam rerum necessariarum vis et potentia earum magis, quam hunc, attingit. Nam ut seges et messis, bona et fruges, cuique tempori propriae, recordatio gravium eo coniunctarum rerum, ipsa portenta et ostenta illi ad conventus hilares et ad convivia communia ansam praebuerint, fuit necesse. Verum istos dies festos non celebrat illa religione et pietate, quae tantum mentem in indagandis et cognoscendis naturae rebus versatum occupat, neque sensus et vim fingendi admodum movet: similis alumno rudi et simplici, qui quoque externo impulsu movetur, minime vero varios in natura effectus, vi et potentia unius intelligentis et immortalis naturae ortos cogitat (quae rei imago eius menti haud arridet); itaque quum quaeque rerum forma in eius animo in Daemonem mutetur, plurium Deorum cultus exoritur. Quo tamen in invento ratio diligentissime et subtiliter examinans nihil minus, quam huius universi rerum ambitus auctorem videt. Sed homo vix ex ferarum immanitate emersus de hac re parum laborat, qui satis habet nosse cuiusque rei auctorem, cui ab ipso gratiae agendae sint, et quem venerari ipsi liceat. Quam ob rem, quamquam maiestas et dignitas mente cogitata istis numinibus deest (quod aliter fieri ne vix quidem poterat): tamen cultus eorum augetur, quod ipsi sunt praesentes. Nam quo magis huic homini contigit, ut numina ista consuetudine et usu cum ipso coniuncta essent, eo maiori amore ea amplectebatur. Denique religio illius ea fuit, quae infantium[a]), ex figmentis laeti et hilaris animi profecta: ipse tristitiae severitatisque expers, nihil de poenis gravibus sufferendis et de piacularibus sacrificiis offerendis suspicatus est. Quibus rebus sive sacerdotes, sive somniantes et fanatici posthac animos hominum anxios et sollicitos reddiderunt; quippe qui, quo maiore ignorantia naturae et rerum isti homines tenerentur, eo facilius animos eorum se regere posse putabant, ita ut ex timore inter terrores et minas alia religio nasceretur. Cuiusmodi religionem, ut iam antea commemoravi, antiquissimis temporibus inventam esse, fide nostra merito dignum censebimus, si animo integerrimo in singula vestigia et indicia inquisiverimus, quae passim in antiquissimis mythis reperiuntur. Quorum vestigia, quamquam saepe fere deleta sunt, tamen, quae adhuc extant, a placitis seriorum temporum maxime dissentiunt: licet non negemus, etiam in religione quaedam natura et coeli temperie varie temperata esse; siquidem etiam nunc religionis cultu incolarum in insulis poli australis cum Germanis collato, eum ante doctrinam christianam institutam frigidioris et tristioris naturae fuisse, animadvertimus[b]).

a) Religio priscorum Graecorum constabat diebus festis publice celebrandis, quibus quisque Graecus interesse debebat; sed sine ullis placitis et praeceptis, quae ad cultum divinum pertinebant. Solum saltationes habebantur cum cantu et musica; quibus quidem animi hominum ita inflammabantur, ut quasi furor divinus l. aestus ingenii iis inesse videretur, quo perfusi vicissim se amabant et vigoris et laetitiae sensus in omnibus qui aderant ita excitabantur, ut omnes unam eandemque naturam habere existimarentur. Cf. Heyne in Commentat. Religionum et sacrorum cum furore peractorum origines et causae. Reperitur in Commentatt. soc. Goetting. Tom. VIII. Class. Philolog. pag. 1—24. Cf. etiam Traegard et A. Thvnberg Dissert. praecipua dogmata sapientiae veterum Ethnicorum eiusque fontem inquirens. Gryphisw. 1787. — *Das Theater der Religionen, oder Apologie des Heidenthums. Athen,* 1791. 8.; v. Ephemerid. literar. superioris Germaniae 1791 No. 105. De anglice scripto opere Hvgh Farmeri, Viri praeclariss., de praestantia humani ingenii in antiqua superstitione gentilitia. Londini, 1783. conferantur Ephemer. literar. Goettingens. 1784. No. 95. Equidem hunc librum praestantissimum nondum vidi, sed cognitionem meam hausi ex recensione nunc laudata. Exsistebant autem carmina popularia, cantica pastoralia, cantus ad cunas et naeniae, quae, quantum ex fragmentis adhuc superstitibus iudicare licet, etsi non ad artis regulas composita, tamen ingeniose concepta erant, in quibus vis fingendi Graecorum animis innata non sine sensu venusti et pulchri egregie cernebatur; nam continebant sensa animi grati erga largitorem cuiusvis generis boni, et quae deinde sensu illorum hominum ad religionem h. e. cultum Deorum et ad historiam spectabant. Maxima autem eorum canticorum pars mentem et sensus amoris respirabat. — Omnino plane diversa erat religio illorum priscorum Graecorum ab ea, quae apud Philosophos nostri aevi valet. Ex notionibus nostrorum Philosophorum vis religionis refertur ad vires, quae nobis a ratione largiuntur ad summum auctorem cognoscendum et colendum. Quae quidem cognoscendi ratio, quamquam non solum occupata est in intellectu, tamen, quoniam omnia praecepta et dogmata ad nostram rationem accommodamus et nihil credere volumus, nisi quod rationi non adversetur, potissimum intellectu constat. Quantum autem doctrinae praestantia intellectu commendatur, tantum haec cognitio confert ad virtutem



exercendam, qua nostra religio perspicua est, si accedit bona voluntas, et in nostris actionibus praecepta sequimur, quae rationem habent auctorem. Sed multo aliter se res habet cum religione priscorum Graecorum: quippe quae in eorum mythologia constabat, ubi cultus tantum ad sensum externum, imaginum a vi fingendi vividissimis coloribus propositarum plenum, spectabat, nulla gravium sententiarum ad animum edocendum, emendandum, et consolandum ratione habita; ut refert Heyne in Commentat. de Mythologia, fabula et mythiac aetate, quae legitur in Commentatt. Soc. reg. scient. Goetting. Tom. VIII. —

b) Conferatur M. Schvetze *Lehrbegriff der alten Deutschen von dem Seelenzustande nach dem Tode überhaupt und von ihren Begriffen vom Himmel und Hölle. Leipzig*, 1750.

## §. 6.

Dies festi, quos modo commemoravi, ab initio ad cyclum temporis quendam celebrandum destinati, quo maiorem sequente tempore auctoritatem et vim adepti sunt, eo magis de causa et effectu disputatum est; quod ex iis, quae nunc mihi dicenda sunt, luculentius patebit. Duo festa nationi Graecae propria inventoribus frumenti et vitium culturae sacrata fuisse scimus, cuius rei causa non ita longe petenda videtur. Nimirum omnes omnino cogitationes inculti hominis quum in fruendo tum in laetando de frugibus sumtis occupantur; unde necessario sequitur, ut eiusmodi homines, quorum animi his bonis mirifice moventur, causas illorum conentur investigare. Alterum Demeter (Isis Aegyptiorum [a]), alterum Dionysos vel Bacchus curabat. Ope illius homo se curarum expertem et vitam suam a variis fortu-

nae casibus tutam vidit; quo factum est, ut, societate inita et legibus sapienter constitutis, a petulantia, superbia et violentia aliorum hominum se defenderet: auxilio huius novae res inventae sunt, quibus homo vitam socialem fugiens, suis viribus diffisus et timidus, sumto fervidiore vino recreatus, multo aliam naturam induit atque antea, et diffidentia exuta hilaris, socialis et ad cultum civilem accommodatior factus est. Quid est quod miremur, auctores utriusque gratissimi muneris ab isto homine maxime diligi ac coli, quum patria terra, Demeter, et vitam eius exhilarans pulchriusque adornans Bacchus ii esse viderentur, a quibus maximis beneficiis afficeretur.

a) Conferatur *über die Isisvesper, nach einem Herkulanischen Gemälde, eine Abhandlung von Böttiger* in libro, qui inscribitur Minerva, ad annum 1809. Gerardi Hasselti ampulla Isidis Aegyptia, nunc primum luce publica donata et illustrata. Ultraj. 1778. De Isidis similitudine cum Cerere, de eius cultu et de nomine Cereris v. Sainte Croix Mémoires pour servir à l'histoire de la Religion secrete des peuples anciens. Supplément IV, VI et VII. Et de eius similitudine cum Minerva v. Suplément I.

## §. 7.

Iam etiamsi a consilio meo alienum videtur, ampliore et uberiore, quem dicunt, commentario mythum Cereris[a]) et Bacchi illustrare: tamen id efficere conatus sum, ut rerum cognitio, quae ad hanc materiam declarandam illustrandamque pertinet, quam maxime perspicua et certa esset; ne vel erudito lectori vel severo



censori haud paucae difficultates et haud parum dubitandi locorum relinquerentur. Faciendum itaque putavi, ut inciperem a primordio. Etenim quidquid homines beata ingenii ubertate praestantes excogitaverant, res propria singulorum, quorum animi cognatione sententiarum tenebantur, esse debebat, quoad id intelligentiam et captum vulgi superabat. Hae sententiae figuris vestitae et exornatae nominabantur Hieroglyphica[b]), quorum significatus homo ingenii acumine excellens divinando solvebat; imperita multitudo nulla inde suspicione ducta cum stupore quodam contemplabatur. Hinc isti ordines processerunt, qui magis perspicuam et accuratam multarum rerum cognitionem involucris et quasi velis mysteriorum tuebantur, ad quae cognoscenda initiatis tantum aditus patebat. Cuiusmodi initia apud Aegyptios et posthac apud Graecos inventa sunt, apud quos, quantum scimus, mysteria Eleusinia[c]) maxima auctoritate floruerunt. De interna harum solennitatum conditione et diligentiore disciplina parum aut nihil certi constat: ex forma solum externa coniicere licet, quaedam placita horum initiorum imaginibus, quae rem adumbrent, expressa fuisse[d]). Pompae certe solennes ad festum Cereris obeundum, quod cum illis arctissimo vinculo coniunctum erat, et mythi, in quibus tota res quasi profunda nocte erat obvoluta, tale quidquam significare videntur. Quae quidem pompae solennes cum cantu et musica coniunctae[e]) speciem Comoediae vel fabulae praeferebant; nam cuique agitationi et motui corporis sententia erat subiicienda, quae fabulam ad Deae cultum pertinentem gestibus mimicis exprimeret; qua in re etiam unus sacerdotum

personam Deae agere solebat. Cerere ab Eleusine reduce facta, initiati iterum in honorem Deae hymnos canere solebant, in quibus eam precibus adierunt, ut usque quaque ipsis ansam iocandi, saltandi, tum varie delectandi et voluptatibus indulgendi, tum ludibrio alios habendi eosque vincendi praeberet. Hinc pompa procedit super pontem Cephissi, et novum spectaculum exorditur. Populus, qui catervatim ad hunc pontem confluxerat, tempus interea ludicris artibus et oblectationibus varii generis terens, ibi pompam expectabat, eamque adventantem risu cum irrisione omnis generis excipiebat; invidia videlicet ductus, ut ulcisceretur initiatos, qui populum horum mysteriorum expertem esse voluerant. Quae quidem irrisio et cavillatio graece nominabantur *γεφυρίζειν*, et irrisores ipsi *γεφύρισται*.

Mystas hac in re non otiosos fuisse, vel ex argumento cantus facile coniicere licet. Non initiati autem suo iure, illatam sibi iniuriam ulciscendi, ita usi sunt, ut quisque nihil prius et antiquius sibi existimaret, quam ut adversarium et obtrectatorem quam maxima acerbitate, ferocia et petulantia vinceret; praesertim quum ex indole priscae aetatis et ex sensibus antiquissimorum Graecorum amicum amare et inimicum odisse non modo cuique liceret, sed etiam iustum et rectum videretur [f]).

a) De Cerere eleusin. conferr. WOLF's Museum *der Alterthumswissenschaft; Th. I.* p. 575. squ. IOHANNES v. MÜLLERS *Werke, Theil* 7. p. 32. — Ceres spiras gestans v. apud BROUKHUS. ad Tibull. II. 1, 4.



b) Rationem scribendi per signa iam antiquissimis temporibus in usu fuisse ad cogitata mentis exprimenda, ex multis monumentis demonstrari posse; quid quod humanarum cognitionum, quae per Europam innotuerunt, initium duci posse a Sacerdotum sapientia symbolica: si qua est Herodoti ac Platonis auctoritas, quis est, qui hoc possit negare? Quamquam autem longior eius rei disquisitio et descriptio una cum fontium, unde hausta sit, copiosiore enumeratione a meo consilio aliena videatur, quod et immensum opus et mei ingenii viribus minime aptum esset, universum studium Hieroglyphicum explorare: tamen non possum, quin pauca quaedam de hac re dicam; siquidem utilitas huius studii viros doctos quum omnes, tum eos, qui aenigmata historiarum explicare student, minime fugit. Commemorasse sufficiat, Herodotum lib. II. c. 35 et 36. et Diodorum Siculum in Bibliotheca lib. I. c. 69. tradidisse, duo literarum genera, alterum populare vel vulgare (dicitur etiam epistolare s. epistolicum), alterum sacrum (*δημότικα καὶ ἱερα γράμματα*) apud Aegyptios fuisse. Cf. *Heeren Ideen etc. 2te Ausgabe. Theil* 2. p. 487. squ. Commemoratur etiam tertium genus, quod vero non proprie scriptura fuit, sed ad Symbola pertinuit, et hieroglyphicum dicitur. Huius hieroglyphici sunt tria genera: primum continet figuras simplices, v. c. circulus est signum aeternitatis; alterum continet figuras animantium, sicut sus symbolum foecunditatis, bos symbolum fertilitatis et securitatis fuit, vespae malitiosos et crudeles homines denotabant; Ibis, Latinorum ciconia, apud Aegyptios colebatur, quia serpentes devorabat, ut refert Plutarchus de Iside et Osiride. Tertium genus est aenigmaticum, quod continet signa, quibus cogitata sua involvebant. Talia sunt in Obeliscis, in quibus virtutes et vitia hominum per figuras animantium exprimuntur, quibus haec attributa insunt; sic v. c. est scala signum transmigrationis, peregrinationis et transportationis in alium locum; sic malum punicum est signum societatis civilis; cancer est symbolum foederis Ionici; simia symbolum fraudulentiae et iactationis circulatoriae. De hoc hieroglyphico genere extat locus egregius apud Clement. Alex. Strom. Lib. V, 4. p. 555. seq. JABLONSKY in Praefat. ad Pantheon Aegyptior. Francof. ad Viadr. 1750. III. 8. REIMANN (Superintend. Hildesh.) scripsit Ideam

antiquitatum literar. Aegyptiorum, quo in libro omnes locos ex antiquis auctoribus collegit, qui ad doctrinam Aegyptiorum spectant. Primus qui has figuras et signa nulla rerum, temporum et locorum ratione habita explicare ausus est, fuit quidam Cyrenes. Conferendus est Pierius Valerianus in Hieroglyphicis, et Warburton: Essais sur les hieroglyphes. Recentioribus temporibus eius exemplum plures Viri doctt. sequuti sunt; sed eos solum hic laudare mihi placuit, qui hanc partem eruditionis antiquae accurato iudicio indagare studuerunt, et quorum opera effectum est, ut ad hoc studium difficillimum de Hieroglyphis augendum et promovendum denuo hac nostra aetate Virorum doctissimorum attentio et diligentia excitaretur. In iis refero Journal des Sçav. 1779. No. VI. pag. 290. sqq. et Ephemerides liter. Goetting. 1780. Part. 54. Novas ephemerides literar. Lipsienses 1806. No. 1. et 2. *Das Alphabet der Hieroglyphen enträthselt von Carl Schmidt*, M. D., *als dritter Theil des Werkes der Zitterstoff. Breslau*, 1805. 8. — Ancient Alphabets and Hieroglyphic characters explained, with an account of the Egyptian Priests, their Classes, Initiation and Sacrifices, in the Arabic Language by Ahmud Bin Abubekr Wahshihs, and in English by Ios. Hammer. Lond. 1806. 4. Ephemerid. litter. Goetting. 1815. Part. 125. — De l'étude des Hieroglyphes (par Mr. de Palin.), à Paris. 1812. 2 Vols. 8. Panthéon Aegytien, ou collection des personnages mythologiques de l'ancienne Egypte, d'après les monuments; avec un texte explicatif par M. Champollion le jeune, et les figures d'apres les dessins de Mr. L. I. I. Dubois. Paris, 1823. Fol. Cum quo libro conferatur eiusdem Viri celeberr. Lettre à Mr. Dacier, relative à l'alphabet des Hieroglyphes phonétiques. Paris, 1822. v. Ephemer. literar. Halens. 1824. No. 55. Précis du systeme hiéroglyphique des anciens Egyptiens; ou recherches sur les élémens premiers de cette écriture sacrée. Par M. Champollion le jeune. Paris, 1824. Lettres ralatives au musée royal egyptien de Turin; par M. Champollion l. j. Première lettre. Monuments historiques. Paris, 1824. — *Hieroglyphik, ihr Wesen und ihre Quellen. Nebst hieroglyph. Inschrift dreier Scarabäen, von Dr. J. W. Pfaff, Professor zu Erlangen. Nürnberg*, 1824. — *Die Weisheit der Aegypter u. die Gelehrsamkeit der Franzosen. Kritik der hieroglyph.-alphabetischen Untersuchungen des Herrn Champollion, von D. Pfaff. Erste Beilage zu seiner Abhandlung über die Hieroglyphik. Nürnberg*, 1825. conferr. Ephemer. liter. Halens. 1826. No. 35. 36. F. A. G. Spohnii et G. Seyffarthi rudimenta Hieroglyphices. Accedunt explicationes speciminum hieroglyphicorum, glossarium atque alphabeta. Cum 36 tabulis hieroglyph. 4 maj. Lips., 1826. G. Seyffarthi brevis defensio Hieroglyphices inventa a F. A. G. Spohn et G. Seyffarth. 4 maj. ibid.; et G. Seyffarthi replique aux obiections de M. J. F. Champollion le jeune contre le systeme Hieroglyphique de M. M. F. A. G. Spohn et G. Seyffarth. 8 maj. ibid.



c) Mysteria Eleusinia a Triptolemo (v. Saint-Croix Memoires pour servir etc. Supplément V.) in honorem Cereris et Proserpinae (v. Saint-Croix Mémoires pour servir etc. Supplément VII.) instituta sunt sacra operta et arcana, quibusdam cerimoniis et ritibus occultis, cultus divini causa, Eleusine, oppido in Attica, celebrata. Dividebantur in magna, quae in oppidis, et in parva, quae in pagis celebrabantur. Initio meliorem institutionem de religione complexa esse videntur; nam in his mysteriis meliorem de divina natura sententiam et praecepta ad mores hominum corrigendos vitamque honeste agendam salubria tradita fuisse, nonnulli statuunt. Eamque explicationem defendit Cicero in libro de natura Deor., in quo illa mysteria initia melioris vitae appellat: quem, quia tam bene de his mysteriis sentit, multi censuerunt pariter ac Socratem iis initiatum fuisse. Sed utrumque dubitandum est, quia sententia omni testimonio idoneo caret. In iis, qui hoc argumentum tractarunt et Ciceronis sententiam honorificam defenderunt, referendi sunt: Casaubonus in Exercitat. Anti-Baron. c. 6; deinde Bachius, qui mysteria non in universum laudat, sed aliquatenus tantum, in dissert. de mysteriis Eleusiniis. Lips., 1754. tum Warburtonius, quondam concionator aulicus in Anglia, in libro de divina legat. Mosis. Hi igitur viri docti existimant: initiatos sacerdotes in his mysteriis superstitionem gentilitiam omnino fallacem, Deos symbolicos multitudinis deridendos, et unum Deum solum

esse colendum, docuisse. Quod credibile fit primum ex eo, quod multi viri magni et honesti his mysteriis, in quibus ex instituto homicidas, periuros et fures recipi non concessum erat, se initiari passi sunt; deinde ex eo, quod Romani non oppresserunt ista mysteria Eleusinia, etsi hoc in aliis mysteriis fecerint, quae postea erant inventa. Attamen omnes ecclesiae patres de istis mysteriis contumeliose iudicaverunt. Ad hanc igitur contumeliosam de mysteriis sententiam quod attinet, distinguendum est inter mysteria antiqua, quae fuerunt innoxia et reditum ab improbitate vel a morum pravitate ad bonam frugem spectabant; et inter recentiora, quae, quum homines paulatim a virtute maiorum degeneravissent, prava mente ad mores et animos hominum corrumpendos sunt inventa. Quare multi viri sapientes, quibus salus communis curae erat, omnibus bene consideratis et penitus perspectis, simul atque ad pravum horum institutorum finem animum adverterant, tanquam e sopore excitati a talibus institutis abhorruerunt. (Sunt denique non modò, qui haec mysteria veterum noxia, sed omnes omnino societates occultas pestiferas statuant; in his 1) Ehler in disputatione: *Grundsätze und Gedanken, nach welchen man die Duldung und den Werth der Ordensgesellschaften zu bestimmen hat,* quae inveniuntur in eiusdem *Winken für gute Fürsten, Prinzenerzieher und Volksfreunde, 1ster Theil.* 2) Auctor libelli *über die geheimen Gesellschaften,* qui invenitur *in philosophische und literarische Mönatsschrift von Knüppeln und Nenke. 2tes Stück.* p. 115. sqn. Quornm sententiae assentiri videtur Jo. Aug. Otto Gehler in Dissertat. de inspectione suprema in societates occultas prudenter exercenda. Lips. 1786. 4. 3) *Ueber geheime Gesellschsaften und deren Gefährlichkeit für Staat und Religion, von Joh. Robinson. Aus der dritten verbesserten englischen Auflage übersetzt und mit Anmerkungen versehen. Königslutt.* 1800. 8. Vid. *A. Lit. Zeitg.* 1801, No. 229—31.). Novissimis etiam temporibus multi Viri doctiss. versati sunt in hac quaestione pervestiganda: unde factum sit, ut illa mysteria olim tantam auctoritatem et gravitatem nacta essent. Conferendi sunt: Pet. Erasm. Müller de Hierarchia et studio vitae asceticae in sacris



et mysteriis Graecorum Romanorumque latentibus. Accedit auctarium de disciplina arcani Eleusinorum. Hafniae, 1803. 8. Versio germanica invenitur in *Neue Bibliothek d. schönen Wissenschaften und freyen Künste.* 69. *Bd. 2tes St.* p. 167. squ. et 70. *Bd. 1stes St.* p. 3. squ.

Meisnersii Commentat. dubia quaedam vel obscura loca, in Mysteriorum inprimis Eleusiniorum historia illustrans. Vid. Ephemerides literar. Goettingenses, 1808. No. 27. 28.

Osiander de Mysteriis Graecorum, praesertim Eleusiniis. Stuttgard, 1808. 4.

Essai sur les Mysteres d'Eleusis; (par Mr. d'Ouwaroff.) troisieme édition, revue, corrigée et augumentée par Silvestre de Sacy; à Paris, 1816. 8. Vid. Ephemerides literarias Viennenses, 1816. No. 92.

d) Heyne in Commentat. supra laudata: „Religionum et sacrorum cum furore peractorum causae.“ Non omnis religio, inquit, arcana statim inter initia (Graecorum τελετή) est referenda; evenit quidem, ut sacra, quae arcana fuerant, aliquando mysteriorum et initiorum nomen et formam acciperent. Arcanis sacris originem dedit hoc, quod aliunde erant illata, adeoque paucis indigenis nota. Si igitur sanctitate inclarescerent, admissi alii post alios coetum a profanis segregatum constituere debuere.

e) Musica Graecorum non solum constitit in snaviter permulcendo aurium sensu, quae ars communis appellatur, sed nobilioris et honestioris generis ars fuisse videtur, qua, animi perturbationibus mitigatis, animus noster ad officia humanitatis praestanda commoveatur. Conferatur Commentatio *Francesco Maria Calle: Was die Musik an der Erziehung der Griechen für Antheil gehabt, was die Wirkung einer solchen Anstalt gewesen, und was man sich davon gegenwärtig zu versprechen hätte.* Videantur scripta pretio ornata del Academia di Scienze e Belle lettere *Mantuana*, 1782. 2 Voll. 4 maj. — *Joh. Jac. Kausch's psychologische Abhandlung über den Einfluss der Töne,*

*und insbesondere der Musik auf die Seele. Breslau*, 1782. — Traité des Effets de la Musique sur le Corps humain, par Jos. Louis Roger, — traduit du latin et augmenté de Notes par Etienne Sainte-Marie; à Paris, 1803. 8. — Cornel Anne den Tex Disp. Inaug. de vi Musices ad excolendum hominem e sententia Platonis. Ultraj. 1816.

f) Cf. Xenoph. Cyrop. VII, 7, 23. Mem. Socr. II, 6, 35. et *Köppens griechische Blumenlese*. Pars II. da. pag. 57.

## §. 8.

Solennia Bacchi aliquanto minus mysteriis obvoluta, sed apud Graecos multo maiore alacritate et hilaritate celebrata videntur; in quibus etsi mysteria, quorum causa et origo Orpheo tribui solet, non desiderantur, (quod omissis et neglectis aliis locis Epigramma Damagetis in eum ostendit: v. Brunckii Analecta II, 39, 5.): tamen, quae ratio et natura horum mysteriorum fuerit et quibus argumentis illa nixa sint, id multo minus cognitum habemus. Ex significatione singulorum Bacchi attributorum nonnulla coniicere licet, quae tamen haud scio an disputatoribus de subtilibus et abstrusioribus rebus seriorum temporum rectius adscribantur. Iam vero origo huius Dei non multo inferioris, quam reliquorum Deorum, sed fere eiusdem aetatis esse videtur; quo factum est, ut apud veterrimos auctores eius mentio inveniatur. Nam iam Pelasgi, antiquissimi incolae Helladis habiti, Bacchum quendam Semelae filium cognoverunt. Bacchi cultus multo prius in India, Aegypto et Syria floruit: unde hunc cultum migrationibus advenarum, in Hellade postea demum



ampificatum, et paulatim auctoritate et gravitate auctum censemus. Nam haud ita multo post Melampus quidam auctor cultus Bacchi commemorari solet, qui Graecos nomen Dei, sacrificium et solennem pompam, in qua Phallus circumferebatur, docuisse dicitur; et Herodotus II, 48. coniicit, istum cultum illi a Cadmo Tyrio, Bacchi socio, impertitum esse. Hic Melampus circiter millesimo trecentesimo sexagesimo octavo anno ante Christum natum genitus fertur; unde, eius vitam in tempora Pelasgorum incidere, sequitur. Ac fuit quondam vulgaris sententia, Cadmum eiusque coloniam a Thebaide in Aegypto venisse in Europam (cfr. Ovid. Metam. III, 5.). Alii vero, quorum sententiae veritas magis comprobata est, Bacchum statuunt natione Phoenicem, e Tyro in Graeciam advenisse; quae quidem constantissima fama et opinio testimonio Herodoti V, 58 et 59. nititur, qui ipse monumentis in itineribus longinquis investigatis, secundum sententiam Viri immortalis Heynii, testis verecundus iudicatus est [a]). Ad Cadmi adventum vero quod attinet (de quo nunc nobis pauca dicenda videntur), de eius origine ambigunt tum veteres, tum recentiores scriptores; quum eius nomen secundum Etymologiam advenam ex oriente quidem denotet, sed, si accuratius regionem certam cognoscere volumus, alii aliam sententiam proponant.

a) Heynii sententiam de Herodoto legimus in Commentat. ante laudata „Religionum et sacrorum cum furore peractor. causae,“ in Comentt. Soc. reg. Gött. Tom. VIII. „Omnes, inquit, qui universe Herodoti fidem aut elevant aut sollicitant, eos in historiae parentem iniuriosos esse, necesse est. Nam aliter iudicandum

est, ubi scriptor visa a se; aliter ubi audita et narrata exponit; aliter, ubi ea, quibus ipse interfuit, aliter ubi ea, quae fama accepit. Haec ipsa fama quam varia et multiplex esse solet, pro locorum aut temporum intervallis, pro gravitate vel levitate narrantium! Videndum est in singulis, quid sequeretur. Ubi ea, quae ex barbaris audita narrat, cogitandum est, quanta cum difficultate et molestia luctandum fuerit homini Graeco, isto quidem tempore, si ex eorum ore dicta excipere vellet.“ Attamen hanc sententiam labefactare et infringere conati sunt *Kanngiesser in Alterthumswissenschaft*, p. 297. squ. *et Müller* in *der Geschichte der hellenischen Stämme*, p. 113. squ. qui Cadmum Phoenicem esse negant.

## §. 9.

Bochartus in Phaleg. II, 13. (liber annexus est eius Geographiae sacrae), satis probabiliter disputat, Cadmum ex regione Cananaeorum, atque e genere Cadmonitarum ortum esse; quae natio cum Hevitis in Palaestina septentrionali unam eandemque originem habebat, et partem Cananaeae ad meridiem versus sitam tenebat, quam perdomitam finitimi Tyrii, ut verisimile videtur, in officio continebant. Huius coniugem a monte Hermon appellatam Hermionem vel Harmoniam. Mythum ambos in serpentes commutatos referre, quia nomen Heviti in lingua syriaca serpentem significet. Atque eos victoriis a Iosua de ipsis reportatis repressos, ad emigrandum supra mare commotos esse, quum reliquae regiones orientem versus iam satis frequenter a coloniis profugis occupatae essent. Accedit, quod in Cananaea urbs exstitit, quam Iosephus Θήβας scripsit.



Ceterum Mythus de Baccho referendus est in numerum difficillime explicandorum, qui in antiquissima historia reperiuntur [a]); quod interpretes quum de tota narratione plurimum inter se dissentiunt, tum de ipsius ortu [b]). Per plures autem Dionysos varias vitium culturae epochas ante Bacchi, Iovis et Semelae filii, adventum in Graeciam significari, a nonnullis viris doctissimis satis probabiliter disputatum est.

Iam vero quod ad Dionysi, quem modo commemoravi, ortum attinet, plurimis in locis poetae dissentiunt. Nam in hymnis Orphicis eius educatio in Aegyptum transferri solet, Appollonius vero in Argonauticis eundem in Euboea et inde in Corcyra educatum tradit. Quam quidem diversitatem inde praecipue repetendam censeo, quod cultura vitium in alia terra prius, in alia serius exorta sit.

a) V. Frid. Creuzeri Dionysus, s. commentationes academicae de rerum Bacchicarum Orphicarumque origininibus et causis. Heidelbergae, 1809. 4 maj. De singulis locis conferantur Lobeckii Programma de morte Bacchi. Viteb. 1810. — *Symbolik und Mythologie der alten Völker, besonders der Griechen. In Vorträgen und Entwürfen von Fried. Creuzer. Leipzig und Darmstadt*, 1810, 1811 *und* 1812. 4 Voll. 8.

b) Iam Cicero de Nat. Deor. III, 23. statuit plures Dionysos, quinque sententiarum de Bacchi origine genera commemorans, in quibus ea, Bacchum filium Iovis et Semelae esse, longe celebratissima videtur.

## §. 10.

Attamen, quisquis auctor huius cultus in Graecia fuerit, hoc saltem certum videtur, hunc cultum non in hac regione ortum, sed in remotiore terra inventum esse, praesertim quum nomina huius Dei valde inter se discrepent. Nam Thamuz Syrorum, cui apud Grecos nomen Adonis fuit[a]), idem fere fuisse videtur, qui Bacchus. Hic igitur de amplificanda et augenda agricultura bene meritus erat, eiusque nomen nihil aliud, quam vini largitorem denotat. Idem in Aegypto habitus est signum vel imago solis; quando sol in oriente, tempore auctumni, ex signo leonis signum virginis (Astarte) subit. Quo nimirum tempore segetibus demessis dies festi in eius honorem celebrati sunt, qui ingenti plangore de eius morte, h. e. de paulatim ingruente silentio et solitudine naturae exorsi, laetis cum exclamationibus de eius resurrectione peragebantur. Siquidem etiam in mysteriis Graecorum fama fuit, Dyonysum a Perseo esse occisum; quamquam haec fama ad vicissitudinem hiemis et veris et ad semen sub terra conditum potius referenda videtur, dum id virescens regerminaret. Quam ob causam Bacchus etiam a poëtis in numerum Deorum subterraneorum referri solet: quatenus nimirum sol hieme rediens, quo tempore terra tristitia obducta erat, revertente vere, cursum repetens, terram exhilaratam fertilem reddit. Qua quidem sententia Bacchus, festis in honorem Lenaei diebus, Athenis inprimis cultus est[b]). Apud Aegyptios fuit Osiris, cuius festum hi teste Herodoto II, 48. fere eodem modo quo Graeci agebant[c]): quippe qui Aegyptiis signum



solis, fortasse etiam anni solaris, erat; siquidem serpens in festo eius circumlatus ad cursum solis pertinere videtur. Praecipue hircus, in solennibus Bacchi tragicas partes sustinens, apud veteres solis, septentrionem versus denuo orientis, signum erat; sicut imago Capricorni et Cancri portae coeli nominabantur. Quo factum est, ut Baccho cognomen διθυραμβογένης l. Διθύραμβος inderetur. Itaque facile conieceris, solem ante aliquot millia annorum quocunque tempore septentrionem et meridiem versus esse reversum, quoties haec sidera in diluculo conspicerentur. Veteres ipsi hoc cognomen de duplici eius ortu, nimirum ex Semele et coxa Iovis, interpretantur.

Cur autem hircus in comitatu Bacchi conspiciatur, haec fuit causa, quod cum Dionyso notio culturae vitium coniungebatur. Hircus igitur vitibus noxius et infestus, largitori vini odiosa bestia, immolabatur; quamvis aliis verosimilius videtur, notionem cum graeco vocabulo, quod hircum significat, coniunctam, principium et fontem huius mythi fuisse, quum τραγίζειν et τραγᾶν etiam nimiam fertilitatem significet, qua vites, frondes et palmites luxuriosius propullulant, quam ut ulla laeta spes floribus et gemmis erumpentibus se ostendere possit.

a) *Erklärung des Mythus Adonis von G. W. A. Fikenscher. Gotha*, 1800.

b) Festa Bacchica fuerunt tria: unum Dionysia agrestia per tres dies celebrata; alterum Lenaea l. Anthesteria, itidem per tres dies, quorum cuique suum nomen erat; et tertium magna l. Diony-

sia urbana. Conferantur de his festis Bacchicis: Barthélemy in Mémoires de l' Academie des Inscriptions et belles lettres. Tome XXXIX. pag. 172. Ruhnken. ad calcem Hesychii; et Spaldingii praefat. ad Demosth. in Midiam p. 13. seqq.

c) De similitudine cultus Osiridis et Bacchi vide Sainte-Croix Mémoires pour servir à l'histoire de la Religion secrete des anciens peuples. Supplément X; à Paris, 1784. Germanice versum a CAROLO GOTTHOLD LENZ. Gothae, 1790. 8.

## §. 11.

Quae quum ita sint, Bacchus Graecorum primum tanquam imago solis omnino cogitatus videtur, nisi quod hanc primariam et veram significationem Graeci, exceptis mysteriis, etsi non plane neglectam, tamen tanquam minus certam et firmam tuiti sunt. Contra apud eosdem Graecos aliud, quod homini exoptabile est, nimirum tempore veris sole auctore denuo procreata terrae fecunditas, in Bacchi festo maximam gravitatem et vim assequutum est.

Primariae autem et propriae significationis aliquam rationem habitam esse, apparet ex variis imaginibus et picturis Bacchi[a]), cuius rei in poetis tragicis vestigia reperiuntur. Modo conspicitur capite taurino et cornibus (signo roboris) instructus[b]): modo cernitur capite leonis, quo indicabant vim et potentiam, addito serpente, ad designandum perpetuum tempus, ipse indutus veste varii coloris, et aliis rebus ornatus[c]); quod indicio est, illum magis quam una eademque ratione fictum esse.



a) Eiusmodi imagines Indici Bacchi conspiciuntur in Museo Capitolino. Tom. IV. tab. 63. in Museo Pio-Clement. Tom. VII. 2. et apud BRASCHIUM in *Almanach aus Rom, Jahrg.* 2. *Taf.* 12. p. 131. squ.

b) Vide de Cornibus Bacchi 1. auct. M. Jo. FR. DEGEN. Onoldi, 1784. Conferendae sunt HARLESII *fortgesetzte crit. Nachrichten von kleinen Schriften. Bd. I. Stück* 1. *pag.* 180. *seqq.* Vide etiam BROUKHUS. et VOLPI ad Tibull. II, 1, 3. et SPANHEIM de usu et praestantia Numism. Dissert. VII.

c) De vestitu Bacchi v. BROUKHUS. ad Tibull. pag. 157. et pag. 231. et de Crocota Bacchi v. WUNDERLICH ad Tibull. I. VII. 46. Ceterum conferatur Jo. F. WALLENII Dissert. acad. de oscillis Baccho suspendi solitis. Abo, 1815.

## §. 12.

Quemadmodum sol fons omnis lucis et caloris, hinc etiam omnis ubertatis est, ita in comitatu Bacchi, qui solis partes gerit, quaecunque solis attributa sunt, adesse debebant; ut Phallus, qui vim genitalem (maxime cum ad totius naturae fecunditatem respexisse probabile videtur), ubertatem atque ipsam immortalitatem indicabat. Ita etiam factum est, ut Phalli simulacrum tumulis et sepulchris insculptum reperiretur, ad tam emortuam, quam reviviscentem naturae fecunditatem significandum: quod per accommodationem ad vicissitudinem humanae vitae et ad immortalitatem animi translatum est.

Sed quod ad Bacchi expeditionem ex Lydia in Indiam et inde retro Thebas in Graecia attinet, tota hac re nihil aliud contineri crediderim, nisi descriptio-

nem, quam late tum temporis cultura vini patuerit: sive, ut rectius loquar, indicium variarum regionum, in quibus cultura vini instituta sit, nullo tamen respectu et longitudinis terrae et latitudinis habito, quae res tandem temporibus recentioribus a viris astronomiae et matheseos peritissimis accuratius definita est.

## §. 13.

Sed multo memorabilior est Bacchi expeditio ipsa, in qua proprie natura mythi cerni videtur. Etenim Bacchus inde a Tmolo, monte Lydiae, regionis, in qua cultura omnino multo maturior erat, quam apud Graecos, et ubi antiquissima nobis nota patria vini quaerenda est, tanquam victor pompam ducit, et nullis proeliis commissis iam ipsa eius appropinquatio vocatur victoria; nam animo laetitia et hilaritate perfuso ad animos aliorum hominum capiendos et ad se trahendos caedibus factis non opus est.

Omnes nationes Bacchum venerantur atque eius imperio se subiiciunt; nam quis est, qui laetitiae sensibus perfusus non libenter debitas grates ei persolvât? Iam ipsa summa feritas vel immanitas ad ei serviendum se accommodat, obstricta donis, quae ab eo in omnes terras longe lateque diffunduntur. In ipsa expeditione eum multi ad eius naturam et mores accommodati comites sequuntur. In fronte agminis apparet Silenus, senex [a]), eius paedagogus, a faunis adiutus, tanquam signum comice fictae ebrietatis. Sequuntur Fauni, imagines libidinis vino immodice sumto commotae. Laetis exsultationibus circum eum saltant satyri capripedes; auctores petulantium iocorum et lascivarum irrisionum, qui iidem ad eas res perficiendas vino abunde sumto impellebantur [b]). Bacchus imago naturae in perpetuum iuvenilem faciem induentis, semper iuvenili vigore et robore apparet, qualem postea in operibus artis, quae versatur in rerum imaginibus effingendis, cernimus.



a) Conferenda est praelectio GESNERI de Sileno et Silenis, quae reperitur in Commentt. societat. reg. scient. Goetting. per annum 1781. Vol. IV. Deorum silvicolarum pellibus hirsutis indutorum reperiuntur imagines apud Visconti in Museo Pio-Clem. Tom. I. pag. 84. et apud Millin in *les Peintures des vases antiques.* Tome I.

b) *Ueber Faunen, Satyrn, Panen und Silenen. Einige Gespräche. Berlin*, 1790. 8. Confer. HEYNE *über den wahren Unterschied der Faune* in *antiquar. Aufsätze* II, 53. In picturis saepe Bacchus cernitur cum multitudine Faunorum eum comitante et prosequente. Cf. Museum Pio-Clement. T. I. 42. Museum Florentin. III. 47. 48.

## §. 14.

Cuius animus ita compositus est, ut hilaritatem et poeticam facultatem illorum veterum populorum divinet, huic minime mirum videbitur, naturas huius generis, Bacchi videlicet eiusque comitum, quamquam nihil nisi imagines, vi fingendi in vividiore animo conceptae et meditatione in eo depictae, essent: tamen quum Orientalem fervidioris ingenii, tum Graecum in-

cundo animo et hilari sensu vigentem, variis rebus, quae ad illos dies festos pertinebant, in summum furorem rapere debuisse. Qui quidem dies festi ita comparati erant, ut quisque liberaliter sibi indulgendo se totum gaudio daret, et prout tempora et populi diversi erant, ita diverso modo eos celebrant; humani vero ingenii vis fecunditatem et ubertatem suam in hac universa ebrietate maxime exsereret novis hilaritatem augentibus rebus inveniendis. Tota Graecia his diebus singulare spectaculum oculis omnium exhibuit. Nam festum Dionysi, uno eodemque tempore ubique celebratum, non in singulis templis et sacris nemoribus continebatur: sed pompae sacrificantium a colle ad collem peregrinantes, variarum regionum fines transgressae sunt. Pompae solennes, chori, saltationes et petulantes ioci hominum, qui persona sumta faciem occultaverant, res denique omnes, ex quibus oculi et sensus voluptatem capere poterant, strepitum et tumultum effusa laetitia gestientium et alacritatem prae se ferentium excitabant, qui nos septentrionalis terrae incolas in maximum stuporem coniiciunt. Sed ut dies Cereris festi a Graecis non minus in memoriam culti fundi et agri, ad eas fruges percipiendas aptati, quibus ad vitam sustentandam carere non possumus, quam in memoriam culturae morum instituti celebrabantur: ita Bacchi dies festi simul in honorem artium et ad ingenium perpoliendum et excolendum instituebantur. Nam Bacchus est praecipue lepidus et hilaris Deus [a]), qui hominibus vino sumto inflammatis et supra vulgares rerum ad vitam necessariarum curas erectis et elatis, totam humani generis



naturam cum decore literarum et artium auctam exornaverit.

a) Similiter etiam Silenus, Bacchi comes, nunquam morosus et difficilis, sed semper festivus et lepidus depingitur. Cfr. Spanheim in *les preuves des Remarques*, pag. 349.

## §. 15.

Quae quidem notio humanitatis excolendae iam in antiquissima celebrandorum Bacchi dierum ratione invaluisse videtur: quamquam huic opinioni Thracum et Pelasgorum consuetudo, quae *βάκχευσις* appellatur, repugnet, nisi eam feritatis primae et antiquissimae aetatis imaginem symbolice expressam sumamus. Quod Orpheo a feminis et puellis Threiciis acciderit, satis constat: atque etiam Pelasgi nihilo melius se gesserunt. Nam nudi vel coriis involuti et Thyrsis ornati in montibus et agris, oculis horrendum in modum distortis, et clamore terribili sublato, semper Evan Evoe exclamantes, circumvagabantur [a]): quin etiam iuvencis, capreis et cervi vitulis dilaniatis, carnem eorum plane crudam avidissime comedisse dicuntur. Omnino mirum videri posset, haec orgia ipsi tenuiori sexui, nimirum feminis et puellis, attributa esse, nisi ex illa cum his solennibus coniuncta fertilitatis notione coniecturam faceremus: quippe quae fertilitas inprimis muliebri sexui, secundum notiones Orientalium, maximi momenti esse debebat. Id etiam ritus Aegyptiarum significabant, quae vel ipsae phallum portantes carmina phallica i. e. priapeia canebant [b]). Atque haec Bacchi solennia etiam longo tempore post culturam mo-

rum apud Graecos crescentem, sed politiore ratione servata esse, vel ex allusionibus poetarum intelligi licet. Sic apud Homerum (Il XXII, 460.) Hectoris coniux Maenadis instar e cubiculo suo se prorumpit; similiter apud Virgilium (Aen. VII, 388.) Amata, Latini uxor, ut impediat, quominus Aeneas filiam eius in matrimonium ducat, cum hac et reliquis feminis more Bacchantium vestitis, in silvam festinans discedit.

Sed haec solennia in honorem Bacchi celebrata cum illis, quae ex festis vindemiae originem traxerunt, nihil commune habent. Nam vindemia, plane ut nostris temporibus, festum fuit, quod variis grati animi sensibus, qui verbis exprimebantur, celebratum est, eiusque vestigia iam ad antiquissimam aetatem redeunt. Sic v. c. Homerus (Il. XVIII, 561. seqq.) in exornationibus scuti enumerandis, quod Hephaestos a Thetide rogatus Achilli confecit, vindemiam cecinit.

a) Dithyrambi erant cantus in honorem Bacchi compositi, sententiarum sublimium et explicatu difficillimarum, quae ad ortum, migrationes et res gestas Dionysi spectabanti pleni; iique ad tubas, cornua, tympana et alia magnum strepitum excitantia instrumenta musica, quibus homines quasi furore acti et Deo impleti extra se rapiebantur, in antiquissimis Orgiis cantabantur. Conferatur Rom. Timkowsky de dithyrambis eorumque usu apud Graecos et Romanos Commentatio. Mosqu. 1806. 8. et C. F. A. Augusti de hymnis Syrorum sacris dissertatio. Vratislav. 1814. 8. — Pöetae, qui eiusmodi cantus componebant, multum similitudinis babebant cum Bardis antiquissimorum Germanorum et Gallorum et cum Scaldis Scandinaviorum, qui in carminibus res gestas et proelia principum cantantes et tibiis modulantes referebant. Itaque etiam antiquissimi historiarum scriptores habiti sunt. Quod vero in tali descriptione poetica multa obscura



occurrebant, id nemini admirationum movebit, quoniam omnino in longo carmine non modo relationibus nulli temporum ordini alligatis vagabantur, sed etiam artis ignorantia nexum historicum non admodum sequebantur. De his Scaldis adhuc extant quaedam carmina, in his: Vafthrudnismal sive Odarum Eddae Saemundicae una, quam ex codice membranaceo bibliothecae Regiae cum versione latina, lectionum varietate, notis philologico-criticis, et indice vocum opponentium examini sistit Grimus Iohannis Thorkelin. Hafniae, 1779. 4. — Deinde conferendae sunt antiquitatum Borealium observationes miscellaneae. Specimen V. Ethnica veterum Borealium Mylothrus, vulgo Grotte-Sang cum prologo carminis Eddico, cuius partic. I. scripsit Sculus Thordi Thorlacius, Scholae metrop. Rector. Hafn. 1794. 8. — Tum Helga, h. e. carmen de Helgio, Haddingorum heroe, Sect. 1. Specimen Eddicum codicis Vidaliniani, nunquam antea typis impressum, nec interpretatione illustratum. Edidit Dav. Graeter. Hal. Suev. Conferantur Annales Literaturae Heidelberg. 1811. Nr. 63. p. 999. squ. — Vide etiam: *Die Edda nebst einer Einleitung über die nordische Poesie und Mythologie*, *von Fr. Rühs. Berlin*, 1812. 8. — *Lieder der alten Edda. Aus der Handschrift herausgegeben und erklärt durch die Brüder Grimm. 1ster Band. Berlin*, 1815. 8. — *Der Schlüssel zur Edda, von Ern. Chr. Trautwetter. Berlin*, 1815. 8.

b) In Mysteriis Bacchus cum Phallo depingebatur. Confr. Hirt *Archäolog. Bilderbuch*. X, 3. qui hanc imaginem depromsit ex Museo Pio-Clementino.

## §. 16.

Sed iam satis dictum est de iis rebus, quibus signa continebantur, quomodo antissimi homines laetitiae sensus, ad suum ipsorum et aliorum animum exhilarandum, festis diebus indicaverint. In his erant musica sive

cantus et saltatio. Sed quod ad hanc attinet, tenendum est, eam certa consilia et rationes sequutam esse et diversam fuisse a recentiore saltatione, quae, tanquam res ludicra, tantum levitatem quandam prodit, ad eamque aliorum animos invitat. Hanc igitur veterum saltationem argumento cantus congruam fuisse, et vi sua et vigore suo tam sensa quam cogitationes animi humani indicasse, huius rei testis est poetica narratio Homeri (Il. XVIII, 593. sqq.).

## §. 17.

Eiusmodi saltationum tam socialium, quam religiosarum, apud Graecos magnum numerum fuisse, quae, quod ad has attinet, indisseparabilem religionis partem continebant, quis est, qui nesciat? Eo scilicet referri debet inter antiquiores saltatio innocentiae diebus Dianae festis habita[a]); quo festo iuvenes nudi, lentis choreis, motu leni atque pudico circa aram incorruptae Deae in orbem saltabant, et inter saltandum effigiem pulcherrimae muliebris formae monstrabant. Eodemque refero Gymnopaediam in honorem Apollinis, ubi duo chori nudorum puerorum et puellarum, inter hymnum cantandum circa statuam Dei choream duxerunt. Atque eo pertinent saltationes Bacchantium, quae mysteria propagationis exprimebant et s. p. Quarum quidem saltationum omnium propria indoles et vera natura haec fuit, ut singulis res gestas et facta Deorum, quorum diebus festis illae saltabantur[b]), ad vivum exprimerent: v. c. callidum amorum consilium, quod Ares in Aphrodi-



ten intenderat, secundum descriptionem Homeri, Odyss. VIII. ubi cantor canebat et iuvenes congregati ad cantum saltabant; nuptias Vulcani, historiam Adonidis, amores Dianae et Endymionis, raptum Europae etc. Quare non mirandum est, quod ars saltandi scenica hoc religioso usu singularem dignitatem tuebatur: et, in hoc populo praesertim, in quo amor fere regnabat, non solum laudi ducebatur, qua, quia voluptas maiorem in modum ea augebatur, quisque in consuetudine et sociali vita commendatus est (quis non meminerit saltatiunculae illius scenicae in Xenophontis Symposio); sed etiam in disciplina publica res necessaria habebatur, qua in re nulli, qui culturam morum sibi vindicabat, facile venia data est. Quin illa ars tantopere erat cum vita Graecorum communi et cum eorum civilibus et domesticis institutis coniuncta, ut certe Athenis nullus orator publicus huius artis imperitus populo ullo modo placere potuisset; neque ulla unquam solennia familiaria celebrarentur, quibus saltatio non interesset. Quod veterum Graecorum institutum usque ad hunc diem a posteris illius olim florentissimi populi usu et consuetudine sancte observatum est.

a) De Diana conferatur Braschius in *Almanach aus Rom; Th.* 2. *Taf.* 12. Erat Diana symbolum fertilitatis naturae; quare etiam apud Graecos βαθύκολπος appellata est. Vid. Museum Florentinum tab. 20. Mus. Pio-Clement. T. I. tab. 32. Est etiam, ubi Diana tanquam Dea noctis repraesentata videatur; vid. Mus. Capitolin. III, 18.

b) In eiusmodi saltationibus mimicis saltator motu corporis, nutu, crure, genu, manu, rotatu, clauso ore, adloquente gestu id

agebat, ut, etiamsi nihil cantaretur, tamen ex motu corporis res, quam repraesentabat, posset cognosci: quemadmodum Lucianus refert περὶ ὀρχήσεος. Incredibilis sane haec ars fuit, quae homines maximo affecit gaudio, et tantum potuit, ut omnes, qui adessent, extra se raperentur; teste Iuvenale in Satyra VI. ubi de Pantomimis Romanorum sermo est, cum Pantomimus egerat fabulam de Iove, qui sub specie tauri se gremio Danaes insinuaverat. Ex recentioribus conferendus est Ferrarius de Mimis et Pantomimis. — Extat etiam excellentissima francogallice scripta de histrionica Commentatio, qua nihil melius et praestantius intelligentissimi huius rei viri legisse affirmant. Ea sic est inscripta: De la saltation théatrale ou Recherches sur l'origine, les progrès et les effets de la Pantomime chez les Anciens, avec neuf planches coloriées: dissertation, qui a remporté le prix double à l'Academie des Inscriptions et belles Lettres en Novembre 1789. Par M. de l'Aulnage; à Paris, 1790. 8. Vid. Ephemerid. literar. Goetting. 1792. Part. 90. — De saltationibus mimicis Spartae habitis locus memorabilis nobis reservatus est ab Athenaeo XIV, 4. 621. Continebant maxime personas et actiones ludicras e vita communi. Eiusmodi saltationes mimicae Neograecorum describuntur in libro: La Grèce ou la description topographique de da Livadie, de la Morée et de l'Archipel, contenant des details curieux sur les Moeurs et Usages des habitans de ces coutrées, par G. B. Deppino. Parisiis, 1823. IV. Tomis. Is puellas et virgines in quocunque labore canere, et ad puteos et fontes canentes convenire, ait, solere; saltare autem iis proprium esse. Choreas ab iis duci vel Candiotico modo vel Arnautico, quod saltationis genus etiam Valachicum dicant, et adsumto flagello et scipione fieri. Quas quidem antiquissimas huius nationis saltationes esse, Deppingio probabile videtur. Addit, secundum id, quod Morrinet de Mainottis refert, non esse dubium, quin ii et Sphakiotae veterem saltationem pyrrhichicam saltent, et graecae foeminae Asiae minoris mollem Milesiam. Saltatio Candiotica magnam similitudinem habere cum saltatione Ariadnes in insula Naxi, quum a Theseo e Labyrintho servaretur. Ceterum a celeberr. Deppingio hoc opus praestantissimum non confectum est, ut qui ista terrarum loca, quae descripsit,



ipse viderit; sed alios autores citat, quibus in elaborando libro suo usus est, v. c. Gell; Castellan; Clarke; Pouqueville; Walpole (vide eius *Reise durch Griechenland*, *deutsch von Sickler*. 1821. 2 Tom.); Leake, Sonnini, Buttmann, Sibthorp, Savary, Sieber. Conferatur etiam de mimicis saltantibus in Turcia ephemeris: *Constantinopel und Petersburg*, *von Schröder u. Murhardt*. *2ter Jahrg. 1ster Band.* p. 14—22.

## §. 18.

Fuit quidem, saltationem ad res religiosas applicare, non solis Graecis proprium: Aegyptii quoque, a quibus magna pars rituum Graecorum profecta est, idem fecerunt; nec minus apud Phoenices et Israelitas vestigia eius reperiuntur. Nam saltatio huius posterioris populi circa vitulum aureum, et Davidis saltatio circa arcam foederis commemoratur. Sed, si in illis populis saltatio semper eandem sibique propriam naturam sequuta est: Graecus contra, in quo hominis Orientalis fervidissimum ingenium cum hominis Occidentalis tranquillo et meditabundo animo mirifice mixtum videmus, artis omnia in pulchrius mutandi peritus, etiam huic rei gratiam et suavitatem suppeditare studuit. Quin ipsae artes vicissim in suam et cogitandi et agendi rationem maximam vim habuerunt; ita ut saltatio in Graecia schola et venustatis et exercitationis virium corporis existimaretur.

Saltatio autem hoc tempore neque, singularis nec per se ipsam constans, sed arctissime cum poesi coniuncta ars erat: ita ut, dum poesis aures suaviter permulceret, sal-

tatione scenica eam adiuvante, impediretur, quominus ars ieiuna evaderet; quod, si minus vividae rerum imagines animo proponebantur, evenire necesse erat.

---

Haec sunt, quae, ut meam de incunabulis culturae apud Graecos sententiam declararem, disputanda esse putavi. Nam singula accuratius recensere copiosiusque hanc rem persequi, huius nec loci nec temporis est. Ceterum id habeo in votis, ut haec opera mea tum a probis veraeque doctrinae cultoribus, tum ab aequis censoribus sic accipiatur, ut, si hanc materiam non optime, sed tamen non omnino male argumentis tuitus sum, huncce libellum iis non displicuisse intelligam; ne vel ii tantum audiantur, qui, minus benevolo animo ducti, aliter sentientes literarum cultores prorsus opprimere atque perdere conantur, vel ii, in quorum opinionibus perversis propter ignorantiam omnis eruditio et solida doctrina fere acerbissimam iacturam facere solet. Rogo igitur atque obsecro Viros doctos, ut, si aliter atque ego de hac quaestione iudicaverint, ea, quae ad rem magis declarandam pertinent, promulgare velint; quia tum me ipsum meliora edoctum discedere, tum etiam in rem literariam aliquos fructus redundare apparet. Nam quum is, qui erranti viatori comiter monstrat viam, gratias mereatur: quanto magis ille, qui in rebus obscuris dubiisque et ad antiquissima tempora spectantibus se



ducem non ignarum verae viae et comitem itineris non inutilem profitetur, omni gratiarum actione dignus videbitur. Itaque, si quis hanc quaestionem posthac me subtilius et politius elaboraverit, omnium primus gratulabundus, ab omni omnino arrogantia, superbia et invidia alienus, lubenter illud: Macte et ingenio et virtute esto! acclamabo, et meritam doctrinae laudem ei concedam.

---